

Sax. C
708



H. L. F. 1845



LAUDATIO FUNEBRIS

(XXIII)

ILLUSTRISSIMÆ CELSISSIMÆ
que Principis ac Domini,

DN. AUGUSTI,

**SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ,
MONTIUM DUCIS: LANDGRA-**

vij Thuringiæ: Marchionis Misniæ: Præfulatus

Naumburgensis Administratoris Postulati: Comi-

tis de Marca & Ravensberg: Domini

in Ravenstein, &c.

Die 26. Decembris, qui STEPHANO Protomartyri

Novi Testamenti sacer est, DRESDÆ pie defuncti:

anno 1615.

Scripta, & recitata in templo Arcis:

Cum Celsitudini ipsius ab Ordinibus Reipub. literarie

in justissimo luctu parentaretur:

die 6. Febr. anni 1616.

A

LEONHARTO HUTTERO,

S. Theologiæ Doctore & Professore Publ.

Collegii Theologici Seniore.

WITTEBERGÆ,

Excusa typis Johannis Rächteri, Impensis Pauli

Helwigii Bibliop. ANNO M. DC. XVI,





Serenissimo Potentissimo-
que Principi ac Domino,

Dn. JOHANNI GEORGIO,
SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MON-
tium Duci: S. Rom. Imperii Archi-Marschallo
& Electori: Landgravio Thuringiæ: Marchioni
Misniæ: Burggravio Magdeburgensi: Co-
miti de Marca & Ravensberg: Do-
mini in Ravenstein, &c.

Domino suo Clementissimo:
IN

*Subjectissima συμπαιδείας testimonium:
Justissimi luctus mitigationem:
Efficacissima Consolationis votum.*

Threnologiam hanc

Humilimo Studio
dicat & offert

LEONHARTUS HUTTERUS D.



ORATIO

DE AUGUSTO DU-
CE SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ,
Montium, &c. ipso festo Proto-martyris STE-
PHANI, anni M. DC. XV. Dresdæ beatissimè
quidem, sed non sine insigni mœrore o-
mnium Provincialium, fatis
functo.



AUDITE me omnes, qui propè
estis, & qui longè: Audite me, qui ti-
metis DEUM, & Ecclesiæ ac Reipubli-
cæ fato miserando cõturbamini: Vos,
inquam appello, qui tremenda DEI
judicia perhorrescitis: qui impenden-
tium malorum sensu tangimini: qui super contritione
Josephi verè ingemiscitis. Audita verba oris mei, & an
ex justo dolore procedant, judicate. Libet Auditores
ijsdem vos, in publico hoc luctu, & dolore acerbissimo
compellare verbis, quibus B. Ambrosius, in re non pla-
nè dissimili, suum olim Auditorium evocare & excita-
re voluit. Vocamur & nos hodiè, & evocamur pro
dolor, ad exequias luctuosissimas Illustrissimi Principis
jamq; beatissimi AUGUSTI, Ducis Saxonïæ, Juliæ, Cli-
viæ, Montium: Landgravii Thuringiæ: Marchionis

ORATIO DE AUGUSTO

Misniæ : Præsulatus Numburgensis Administratoris
 Postulati : Comitatus de Marca & Ravensberg : Domini
 in Ravenstein, &c. Domini nostri, eheu quondam ! Cle-
 mentissimi. Jam, si, quantum doloris tristitiæq; obi-
 tus hic præmaturus bonis omnibus attulit : tantum mi-
 hi quoque, publicâ autoritate constituto luctus huius
 præconi, & ingenii tenuitas, & luctus domesticus, animi
 ac roboris concessisset : fortè ea ad vos verba jam face-
 rem, quæ mœrorem publicum efficaci consolatione le-
 niendi mitigandiq; vim in sese aliquam haberent. Ego
 verò quàm imparatus, & omni penè animi vigore de-
 stitutus, in publicum jam prodeam, optimè mihi sum
 conscius. Sed dicendum tamen, & dicendum quidem
 de vita & obitu Principis Saxoniae. Unde verò incipi-
 am ? quod primum, quod ultimum dicam ? Bona com-
 memorem, quæ perdidimus ? an mala defleam, in quæ
 incidimus ? Erat inclyta domus Electoralis Saxonica,
 triplici fundata stirpe : erat Ecclesia triplici munita scu-
 to : erat Respublica triplici roborata præsidio : Ruta Sa-
 xonica Electoralis tergemino virebat & florebat expan-
 sa germine : Sed talis erat. Erat, quoties dico, toties in-
 gemiscite : quia non amplius est, quod erat.

Christia-
 nus II. E-
 lector Sax.
 obiit, die
 23. Junii
 An. 1611.

Pf. 79, 5.

Vix quadriennium cum semestri abiit, ex quo in-
 clytus Elector Saxoniae CHRISTIANUS II. augustissi-
 mæ recordationis Princeps, splendidissimæ huius trigæ
 fulcrum ac fundamentum primarium, in vivis esse de-
 siit. Nondum cicatricem vulnus istud obduxit : & ecce,
 ô fatum miserandum ! abripitur etiam AUGUSTUS :
 sic ad unitatem solitariam, opinione citiùs redactâ tri-
 plici illâ Electoratus Saxonici coronâ. Quis non excla-
 met ? O DOMINE usque quò ? Siccine irasceris in æter-
 num,

DVCE SAXONIÆ.

nam, & velut ignis absumet gloriam capitis nostri furor tuus? Siccine in luctu & squalore anni isti nobis exigendi erunt? Quid quaeso, Auditores, quid animi jam esse putatis Serenissimo Electori Saxoniæ, JOHANNI GEORGIO, Domino nostro clementissimo, qui fratri jam alteri quoque, ipse unus adhuc, & ò utinam, longum superstes funus parare necesse habet? Quos singultus, quos gemitus, quæ suspiria ipsum jam trahere existimatis? Quas curas, quas cogitationes, quos affectus ipsum tacito sub pectore volvere arbitramini? Equidem videor jam mihi ante oculos videre ipsum habitu pullato indutum, squalore lachrymisq; madentem, Fratris utriusque CHRISTIANI & AUGUSTI fata deplorantem, utrumque subinde lachrymabili voce ingeminantem, graves animo affectus, & nescio quæ tristia omina atque præfagia concipientem: Videor mihi jam audire Illustrissimæ Principis utriusque, Matris SOPHIÆ, & viduæ ELISABETHÆ, gemitus & ejulatus tristissimos: Aulicorum singultus: Consiliariorum suspiria: Provincialium denique omnium planctum luctumq; lamentabilem.

Et nos, nos inquam, AUGUSTE princeps beatissime, mortem tuam non defleremus? Sortem tristem & acerbam Electoralis Domus Saxonicæ non deploraremus? eventuras calamitates non animo expenderemus? Absit à nobis, absit procul ferina hæc barbaries, & Stupor plusquam Scyticus. Proinde quin lugeatis, non prohibeo Auditores: sub illà tamen conditione, ut non optimi Principis sortem defleatis, quæ est beatissima: sed partim, quid malorum DEUS per iteratum hoc luctuosissimum fatum minetur, etiam atque etiam confi-

ORATIO DE AUGUSTO

deretis: partim verò tantarum ruinarum verè fataliura causam primam ac principem, admissorum nimirum scelerum & flagitiorum atrocitatem, seriò detestemini. Equidem, ut animi mei sensa plenius aperiám, tempore longè alienissimo, in has nos calamitates incidere, omninò statuo. Quo enim cunque oculorum nostrorum aciem convertimus, omnia periculis, bellis, dissidiis, odiis, inimicitiis, seditionibus apparent plenissima.

Xerxes Rex ille Persarum potentissimus, qui subvertit montes, maria compescuit, hostibus terrori fuit, cum de sublimi loco infinitam hominum multitudinem, & penè innumerabilem aliquando conspiciatus esset, in lachrymas profundissimas erupisse legitur, eò quòd centum annis elapsis, nullus istorum omnium, quos jam viventes cerneret, superstes esset futurus. Digna quidem hæc erat lachrymis materia, quippe miserabilè vitæ humanæ conditionem ac vanitatem ob oculos cõstituens. Verum si hodie talem possemus conscendere speculam, ex qua universum terrarũ orbem, vel Europam saltem, sub nostris quasi pedibus intueri, & horrendas imperiorum, regnorum, principatum, Rerumpublicarum, familiarum, imò singularũ fermè domuum cõcussiones, mutationes, everfiones, ruinas cominus cõtemplari liceret: quid mirum, si toti in lachrymas & suspiria resolveremur? Videres totius orbis tumultus, gentes gentib., regna regnis collisa: Videres ex Oriente, Turcas, Tartaros, barbarosq; alios, jam suos acynaces in nostram cervicem animamq; exacuerẽ. Videres ex occasu, Antichristi Romani, Filii perditionis fulmina, bullas, tabulas sanguine scriptas, & in excidiũ universę fidei Lutherane
cruore

DUCE SAXONIA.

crnore quasi nostro obſignatas: & jam jam Hispano, Gallo, & nescio quibus confœderatis aliis, executioni tradendas, per sanctos illos, si Diis placet, legatos à latere fidelissimè insinuatās & cōmendatas. Videres ex Meridie, Episcopalis & rāsæ catervæ Pontificiæ rabiem, furorem, insaniam, & nescio quam Ligam, quā adversum nos, nos inquam & Principes nostros, cruento furiarū œstro perciti sæviūt & æstuant. Videres sanguinaria cōsilia, oscula proditoria, artes, fraudes, dolos, insidias, machinationes, conspirationes, quibus hoc unum Antichristi satellites pensi habent, hoc unum agunt, hoc unum effectū cupiunt, ut bello, cædibus, flamma, ferro, & quo fieri possit crudelitatis genere, nos singulos & universos, jugo Pontificio denuò submittant: vel saltem possessionibus, privilegiis, dignitatibus, eminentiis, bonis, salute denique universā exuant & excutiant. Videres ex Septentrione bellorum civilium incēdia, foederum antiquissimorum nefandas dissolutiones: novasq; nuptias planè ominosas, imò πανολεθραν Patriæ nostræ, totiusq; Romani Imperii unicè spirantes. Videres quorundam solennes cum Turca, juratissimo illo hoste, collusiones: Vatiniana odia in Principes Germanos Lutheranæ Religioni addictos; varia acta & actitata, ipsum Imperii Romani sceptrum Caputq; nefariè vellicantia. Quid dicam Auditores? In medio nostri videmus, augustissimum illud Romani Imperii Corpus, rimas agere, fatiscere, benè constituta omnia in pejus ruere, ac retrò sublapsa referri: & proh dolor, ipsos Imperii ordines in propria sævire viscera: aliis à Cæsare planè alienatis: aliis inter se minimè cohærentibus: ita ut nisi DEUS ἀπὸ μηχανῆς excitet Josuam quendam, divino Spiritu afflatum, qui

ORATIO DE AVGVSTO

qui consilio, viribus, atque autoritate instructus, in
eam potissimum curam incumbat, ut odiis atque si-
multatibus mutuis sublatis, vitiis quæ irreperunt o-
mnibus legitimè correctis, pax & consensus in Imperio
publica rursus coalescat, horrenda tandem vastitas &
dissipatio totius Imperii Romani certò sit eventura:
Breviter,

Non mihi si centam lingua sint, oraq; centum

Infandos Patriæ valeam memorare dolores.

Hoc, hoc est, Auditores, quod AUGUSTI Principis bea-
tissimi, obitus, certè (si humano standum sit calculo)
præmaturus, nobis lugendum deplorandumq; ob ocu-
los constituit. Neque enim fortuito, aut communi for-
te: sed singulari fato Heroes & Principes ante annos è
viviis abripi, non ratio tantum, & experientia Stulto-
rum magistra dicat: Sed & Scriptura ipsa inculcat. Nam
licet eadem lege & conditione, quâ cæteri homines, ipsi
quoque nascantur, ut Naturæ debito mortis Stipendi-
um persolvere necesse habeant: miranda tamen DEI
providentia per Principum ac Heroum obitus subita-
neos, haud rarò singularem, suæ erga subditorum pec-
cata justissimæ Nemesis & vindictæ exercendæ mate-
riam capeffere solet. Quod ipsum, ut hoc etiam casu lu-
stuosissimo, metuamus magis quàm experiamur: faxit
idem ille Deus, qui, ut cum Bernhardo loquar, *non solum*
Magnificus est in justitia, Mirificus in potentia: sed & Mi-
nificus in gratia & misericordia: quam ut tum vitæ seriâ
emendatione, tum precum ardore nobis conciliemus,
pium justumq; fuerit.

Quid est autem, quod his, quæ modò à me sunt di-
cta, adjiciam amplius? Nihil equidem video restare a-
liud,

liud,

DUCE SAXONIAE.

liud, quàm ut beatissimo nostro Principi Justa solennia persolvamus, & quæ vita, quæ virtus, quæ pietas & Religio, memoriam ipsius illustrem, & immortalem reddere possit, paucis ostendamus: & tandem beatissimis ipsius manibus piè applaudamus.

Quod dum ex voto Academia, sed breviter expediam, benignas, attentas & benevolas aures, Auditores omnium Ordinum ac Dignitatum splendidissimi, mihi præbeatis, Orationisq; maciem & squalorem gemino meo luctui, privato & publico, tribuatis, quæ par est reverentiâ diligentiaq; rogo.

INITIO autem Natalium AUGUSTI nostri splendorem fortè requiritis Auditores? Hic verò à *Witkindeæ*, hoc est, Regiæ stirpis majestate ortus sui celebritatem sortitus est: Majorum etiam res gestas; Electoralis Saxonicae familiae axiomata sive ornamenta cognoscere desideratis! Istorum verò omnium tanta est vis & copia, dignitas & præstantia, ut neque mei sit ingenii, neque dicendi facultatis, ut vel omnia oratione complecti vel præcipua saltem non dico exornare aut illustrare, sed enarrare tantùm atque commemorare possim. Utinam ea saltem divinae beneficentiæ munera, quæ Religionis & Academiae nostræ sunt propria, quæq; in domo ac familia Electorali Saxonica, & magnifici semper, & veneratus sum humiliter, per adulationis invidiam, paucis prædicare liceat?

Quis autem justis unquam elogiis assequi valeat Electoris Saxonis FRIDERICI illius III. SAPIENTIS pariter ac FELICIS, insignem pro Religione zelum, quo efflorescentem, vel relucescentem potiùs Evangelii doctrinam, ad extremum usque vitæ Spiritum est prosecutus,

B

secutus,

ORATIO DE AVGVSTO

secutus. Etsi enim motis jam de Religione Controversiis, ipse natus grandis, pacis & tranquillitatis esset amantissimus, & quoniam res tandem evasura esset, non obscure animo prævideret: tamen & rebus ipsis, & voce ac literis publicè testatus est, nunquam se defuturum causæ Religionis, quantumvis ea & Imperatoris, & Pontificis, & plerorumque Orbis Europæi Regum ac Principum odiis, infinitisque periculis esset exposita. Hoc planè divino afflatus Spiritu, nunquam B. LUTHERO, Imperialibus licet ac Papalibus bullis proscripto, consilio & auxilio defuit: sed, post DEUM, primum ac præcipuum sese patronum, ipsi, & tenellæ adhuc Ecclesiæ Orthodoxæ præstitit. Huic ipsi Principi, pro immensâ sua bonitate DEUS, eam mentem sapientiamque concessit, ut *Academiam hanc Witebergensem*, bono Ecclesiæ ac universi orbis Christiani, primus aperiret, legibus muniret, privilegiis ornaret, sustentaret, defenderet.

Anno C.
1502. die
18. Octob.
feriâ 3.

Quis dignè prædicare queat fratris JOHANNIS Electoris constantiam animique magnitudinem, qui velut antesignanus quidam, omnium primus, Comitia illa Augustana anni 30. supra sesquimillesimum adiit; cum pars adversa sibi certò persuasisset, tantum animi nunquam ipsi futuram, ut Religionis innovatæ causâ discrimen adiret, & LUTHERI, qui criminis læsæ Majestatis & Cæsareæ & Pontificiæ reus perageretur, patrocinium susciperet. Sed nihil horum moratus, heroico planè Spiritu, fretus & divino præsidio, & causæ bonitate, Comitia adiit, fidei suæ rationem liberè animoque imperterrito exposuit: suæque Confessionis exemplū, Latinâ, Gallicâ, & Germanicâ lingua scriptum Cæsari exhibuit, cum religiosâ attestazione, se ne latum quidem unguem ab ea discessurum, quicquid eveniat: ô cedro

DUCE SAXONIÆ.

— *ô cedro vox incidenda! quid autem
Cedro? Cælo ipsi. Qui transis cunque sepulchrum,
Hosq; ex ære vides, atque hos è marmore vultus;
Dic tecum: Heic viva est animi constantis imago.*

Taubm. in
carm. A-
cad. secu-
lari.

Quis porro oratione celebrare satis queat, HENRICI Ducis Saxonie incredibilem pro afferenda repurgatae doctrinae Evangelice sinceritate industriam, æternam memoriã dignam? Accidit, ut anno 39. supra sesquimillesimum, per legatos ipsi significaretur, Testamento fratris GEORGII Ducis Saxonie, animam tum agentis, ipsum hæredem nominatum institutumq; esse totius Misnie, reliquarumq; provinciarum, ac ingentis thesauri, hac tamen lege & conditione, ut nuntium remitteret Lutheranismi, & ad Pontificiorum castra rediret. Quid optimus Princeps HENRICUS? parvã interpositã morã, *Non tanti se facere respondit ullum in his terris Principatum, ut Evangelicæ doctrinæ abnegatione, eum sibi unquam redimendum esse censeat: seq; jam eum sustinere tentationis paroxysmum, quem DOMINVS JESVS Redemptor & Salvator suus olim superaverit, cum Diabolus regna Mundi huius, eorumq; gloriã universam ipsi promitteret, dicens: Hec omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me.*

Quis encomia percensere saltem queat JOHANNIS FRIDERICI Electoris, qui à Confessione ea, quam *Augusta* & Pater & patruus obtulerant, nullis minis deterreri, nullis periculis dimoveri potuit, quin eam potius sanguine etiam suo obsignare non dubitaverit: ut verè Poëta noster:

*Gemmarum radiis stellata monilia reges
Exornare solent. tua, JAN-FRIDERICE cicatrix,
Quam geris adversã, Fidei pro dogmate malã,*

B 2

Te de-

ORATIO DE AUGVSTO

*Te decorat plus quàm baccata monilia regum,
Si quid in hoc esset Lysippi aut Mentoris ungue.*

Hæc tumulo ipsius legerent insculpta nepotes:

*HEIC JAN-FRIDRICUS situs ille est, martyr
JESU,*

Dux afflictorum: Constantis gloria palma:

Spectamen fidei: Christianæ sortis imago.

Quis dignis laudibus evehere possit Achilleam illam MAURITII, Germanicæ virtutis fortitudinem, ac Spiritum planè heroicum? Hic enim est is, qui post obitum patris HENRICI, mirabili celeritate impium illud Tridentinum Concilium disturbavit: qui durum servitutis jugum, quod genti Germanorum & Romanen-
num consiliis & insidiis jam imminebat, fortiter excus-
sit: qui sacram illam Religionis pacem, quæ antehac nullis obtineri precibus poterat, sua potissimum auto-
ritate obtinuit, effecitq; ut constiterit hætenus pax in Imperio, & tranquillitas publica: qui Academiam hanc nostram bello sacro dissipatam disjectamq; , secundissi-
mis auspiciis in statum pristinum restituit: qui denique in certissimum sui erga Religionem, bonasq; literas af-
fectus indicium, tres illos ludos illustres, harum certè provinciarum κειμήλια preciosissima, Misnensem, por-
tensem, Mersburgensem, qui jam Grimensis est, magno Ecclesiæ commodo aperuit & fundavit.

Quis AUGUSTI Electoris, seculi nostri JOSIÆ re-
ligiosissimi incredibilem pro asserenda doctrinæ cœle-
stis puritate zelum, non dico verbis satis dignè amplifi-
care, sed cogitando saltem assequi valeat? Hic est, qui
Academiam nostram luculentissimis commodis atque
ornamentis locupletavit. Hic intestinis corruptelis, dis-
fidiis,

DVCE SAXONIÆ.

fidiis, contentionibus diffluentem Ecclesiam Evangelicam coadunavit, dissidentem univit, disjunctam copulavit, dispersam collegit, atque id omninò, divino excitatus Spiritu effecit, ut pacatiorem hominum memoriâ, magisq; florentem Ecclesiam, nunquam nostrâ quidem ætate habuerimus: Hic denique pulsus profligatisque lupis Calvinianis, ovile DOMINI vastantibus, curâ ingenti, impensis maximis, labore incredibili, CONCORDIÆ illius aureo constituto trophæo, tanto seculum hoc nostrum affecit beneficio, ut majori nemo quisquam potuerit.

——— *Salve Dux augustissime: salve.*

Nil non augusti tam Augusto Principe gestum est.

Sed Carthago mihi es: de qua siluisse putatur

Laus major, quàm pauca loqui: quid nî ergo silerem?

Quis CHRISTIANI I. Electoris, patris AUGUSTI nostri, heroicam magnificentiam, seriumq; Religionis purioris asserendæ studium, laudibus æquare possit unquam? Etsi enim fex Sacramentaria, Optimi hujus Principis facilitate, ad dogmatis sui incrustationem improbè est abusa: ipse tamen nihil operæ, nihil studio, nihil ardori omni fecit reliquum, quàm ut Lutherana sinceritas facta - tecta assereretur. Quem pietatis zelum, deprehensâ tandem præcipuorum suorum aulicorum perfidiâ, modis omnibus prælustrem effecturus fuisset, si per fati acerbicatem licuisset.

Sed, quis FRIDERICI WILHELMI Proelectoris Saxonix, veri illius, nostri seculi, Hiskix laudatissimum in repurgando sacrosancto purioris Religionis Palladio, studium & affectum unquam justâ vel oratione, vel Carmine, dignè explicare possit? Hic enim est,

ORATIO DE AUGUSTO

qui ex inclūto hoc Electoratu Saxonico, pulsus ejectisque;
seditiosis quibusdam turbatoribus, in Religionem fi-
demq; subditorum, quorum corruptam ex parte since-
ritatem esse, suspicio haud levis fuerat, per idoneos Cen-
sores inquisitionem fieri, errorum lolia eradicari, sedu-
ctos informari, dissentientes institui, præfractos & con-
tumaces coërceri curavit: pristinoq; suo nitore & inte-
gritati Ecclesiam istarum provinciarum, cum immor-
tali nominis sui gloriâ, & piorum omnium applausu,
fremmentibus ac freudentibus licet lapis Calvinianis, re-
stituit. Hic est, qui Academiae sese nostræ Patrem magis,
quàm Patronum exhibuit; ut rectè poëta rursus no-
ster:

*Crede mihi, ô Princeps: tam demum obliviam sumet
Hac Witebergae tui; cum sic mutaverit axem
Federibus Natura novis: ut flumine verso
Saxonas hos Mœnus, sed Francos irriget Albis:
Eurus ab occasu, Zephyrusq; feratur ab ortu.*

Quis CHRISTIANI II. Electoris, fratris, AUGUSTI
nostri, avitum paternumq; circa Religionem zelum,
accuratâ Oratione commodè complecti aut illustrare,
queat? Defuncti quidem hoc penso, ante quinquenni-
um sumus, cum iusta parentalia Patri patriæ desidera-
tissimo tum persolveremus: non eo quidem orationis
splendore atq; gravitate, quâ dignum æquumq; fuerat:
sed quam & mœroris acerbitas, & ingenii tenuitas tum
permiserat. Certè laudatissimi huius Electoris nunquã
mentem animumq; meum subit recordatio, quin in
memoriam simul veniat JOVIANUS Imperator, qui
eo potissimum nomine à Theodoreto celebratur, quòd
post tragicum Juliani Apostatae interitum ab exercitu
Rom

Anno C.
363. die
17. Julij

DUCE SAXONIÆ.

Romano Imperator Augustus salutatus, tantoperè abhorruerit, ut non prius dignitatem oblatam Imperatoriam admitteret, quàm Milites audivisset omnes uno ore clamantes: *Nos Christiani sumus, & IESVM CHRISTVM Dominum nostrum veneramus: pro CHRISTO & Evangelio eius arma geremus.* Eodem planè modo, CHRISTIANUS etiam Elector II. re & nomine talis, haud prius Elector salutari, vel certè Electoralem eminentiâ citius haud capeffere inq; subditos exercere voluit, quàm Cõfiliariis, & ministris omnibus, tum Ecclesiasticis tum Politicis, Sacrosancto Juramenti fœdere, ad Lutheranam puritatem religionemq; libro CONCORDIÆ comprehensam, candidè ac sincerè asserendam adstrictis, audivisset omnes clamantes: *Juravimus in nomine DOMINI DE I nostri, quòd à Calviniano, Pontificio, omniq; heretico fermento purgati alieniq; pro asserenda gloria & Majestate IESV CHRISTI Salvatoris nostri, constanter & sincerè pugnaturi sumus.*

Quis tandem Serenissimi Principis ac Domini Domini JOHANNIS GEORGII, Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae, Montium &c. S. Rom. Imperii Archimarschalli & Electoris &c. Domini nostri Clementissimi, & plurima & præclarissima, in Ecclesiam, Religionem, Academiam, Remq; literariâ universam merita unius horulae, quid dico horulae, imò plurimorû dierû curriculo, percensere saltem numerando, nò dico oratione illustrare valeat? Ignoscât potiùs, ignoscât mihi, Sanctissimi beatissimiq; piè defunctorû Electorum ac Principû Saxonie manes: ignoscât mihi Elector Serenissimus, jam per Dei Gratiam, ad clavû Imperii laudabiliter sedens: ignoscât inquàm singuli & universi, quòd divina ipsorû præconia, mentione

ORATIO DE AVGVSTO

mentionem tam brevi, tam tenui, tam jejuna perstringere ausus fui. Detur Tullius aliquis, detur Demosthenes vel Homerus aliquis, qui tantorum Heroum laudes & virtutes, integra quadam Iliade dignè amplificet & exornet. Meæ hoc non est infirmitatis, imò nec præsentis instituti. In hoc autem diverticulum me deduxit partim Ducis AUGUSTI, cui parentare constituimus, Natalium splendor: partim verò miseranda illa calamitas, quâ prohdolor, nobilissima quæque regna, florentissimi Principatus, splendidissimæ dynastiæ, hodiè pressæ, ac tantùm non oppressæ, tristissimam purioris Religionis jacturam patiuntur, & ruinas planè fatales experiri necesse habent. Cur ergo inclyto Electoratu Saxonico, de incomparabili isto Orthodoxæ fidei thesauro, & κειμηλίω longè omnium preciosissimo hac oblatâ occasione, ex animo non gratuler? Cur non piâ veneratione exclamem? *O domum DEO dicatam! ô gentem pietati sacratam! O familiam Religioni natam! Bene tibi sit ex hoc nunc, & usque in secula.*

Sed ad AUGUSTUM nostrum redeo, qui CHRISTIANO I. Electore, Heroe illo magnanimo, Patre: & SOPHIA Duce Brandenburgica, matre: die 7. Septemb: anno 89. supra sesquimillesimum, hanc in lucem editus, in ipsa statim pueritia, ex singulari indolis generosissimæ bonitate ac præstantia, spem futuræ messis, in ipsa quodajunt, herba, bonis omnibus concitavit. Convulsit eam quidem non nihil, immaturus Parentis religiosissimi obitus, qui in annum ætatis AUGUSTI nostri secundum incidens, laudabiles, tenellæ licet adhuc indolis conatus interturbare, imò evertere planè poterat, nisi

*Christia-
nus I. Ele-
tor obiit:
VIII. Cal.
Octobr.
A.C. 1591.*

DVCE SAXONIAE.

nisi miranda divinæ providentiæ dispositio, viam salutis invenisset longè saluberrimam exoptatissimamq;

Extat apud Platonem non injusta *Cyri* Persarum regis laudatissimi reprehensio, quòd cum ipse optimè educatus, & à teneris, quod ajunt, unguiculis, ad virtutum optimarum, tantoq; Principe dignarum exercitia egregiè esset assuefactus; filii tamen *Cambysis* rectè educandi non eam rationem habuisset, quam oportuerat. Quæ sanè negligentia, non tantum toti Persarum imperio: sed etiam familiæ *Cyri* (citò extincta stirpe illius mascula) pessimè cessit: quin ipsi quoque *Cambysi* dedecori exitioq; fuit, qui triste factus est exemplum tritæ illius *Paroemiæ*: *Heroum filij noxæ*. Nulli enim, ut rectè idem Philosophus monet, *nulli inquam rei major adhibenda est diligentia, quàm Principum Heroumq; filius rectè instituentis, qui sint aliquando futuri Columnæ, præsidia, & honestamenta, tum familia Illustrissima, tum subditorum.*

Cæterum reprehensioni huic loci nihil relictum fuit in inclyto nostro Principe AUGUSTO. Nam tum Parentis utriusque sollicitudo plusquàm paterna: tum Magistrorum & Præceptorum cura atque inspectio, nihil quicquam in tenerâ ipsius formandâ ætate, desiderari passæ fuerunt.

Cum primis autem, Beatissimo Patre jam fati functo, pientissimæ matris sollicitudo enixiùs advigilavit, & gemini Parentis in se curâ susceptâ, nihil prius aut antiquius habuit, quàm ut è medio removerentur universa, quæ tenerrimum nostri Principis, fratrumque reliquorum animum, à præfixo fideli virtutum, studiorumque tramite, ad errorum vitiorumque devia,

C

ave.

ORATIO DE AUGUSTO

avocare poterant. Accidit etiam singulari divinæ providentiæ nutu & arbitrio, ut Tutor ac Dux vitæ fideiq; longè fidelissimus Principi nostro, fratribusq; datus sit, Christianissimus Princeps ac Dominus, Dominus FRIEDERICUS WILHELMUS, Dux Saxoniae augustæ recordationis Princeps. Hic enim, sic suadente Serenissima D. Matre, præfectos, Ephoros, studiorum morumq; informatores AUGUSTO nostro dedit verè Orthodoxos: per illustrem Generosissimumq; Dominum, D. JOACHIMUM ANDREAM SCHLIKIUM, Comitem à Passaun & Weissenkirchen, &c. Nobilissimos maximeq; strenuos; Dom. BERNHARDUM à POLNITZ &c. jam Cancellarium Electoralem meritissimum: Dom. JOACHIMUM à DOLAVV, Consiliarium aulicum: Dom. VITUM THEODORICUM ab Obernitz, τὸν νῦν ἐν ἀγίοις: Magnificum item Amplissimumq; virum, DR. D. SIGISMUNDUM ROLINGIUM, Consiliarium Electoralem: & alios, quorum circa Religionem Lutheranam candor & integritas erat perspectissima. Istorum certè omnium pietas, virtus & industria, haud minori beatissimo nostro Principi fuit præsidio, quàm cum postmodum annum ætatis agens duodecimum, anno nimirum Christi 1601. die 23. mensis Aprilis curâ & autoritate Electoris CHRISTIANI II. fratris, ad Witebergensem hanc missus Academiam, & in Pietatis, & Politices historiarumque studio, profectus fecit laudabiles, tantoq; principe dignos: præfecto & Præceptoribus, hac in parte usus, eo, quem modò nominavimus VITO THEODORICO, ab Obernitz: Magnifico item Amplissimoq; viro, Domino LUDOVICO WILHELMO MOSERO, jam Sereniss: Elect. Saxoniae à secretis intimis: & Consultissimo viro,
D. Do-

DUCE SAXONIÆ.

D. Doctore WOLFFGANGO HIRSBACHIO Jcto, Collega nostro honorando.

Hic silentio involvere nec possum, nec fortè etiam debeo, quòd Princeps Optimus, Rectoris Magnificentissimi hac in Academia munere, ipsis Calendis Maij. eiusdem anni 1601. Clementissimè in se suscepto, per quinquennium integrum, tantâ fide, prudentia, ac solitudine Bonum & incrementum Academiae Studiorumq; omnium, curavit, exornavit, asseruit, ut majore vix quisquam potuerit. Illud verò memoriâ non indignum, quòd in Imperio hoc Scholastico constitutus, Studiosæ juventutis crebrâ exorbitatione motus, satis se demirari non posse aliquoties asseruit, in Musarum castris, hoc est, in ipsa pietatis, humanitatis, virtutum artiumq; officinâ, talem exerceri petulantiam, quæ nescio quam barbariem, & feritatem Cyclopicam resipiat. Statuit nimirum laudatissimus Princeps, & rectissimè statuit, culturam bonarum artium, & vitæ morumque consclerationem simul stare non posse:

Scilicet ingenium placitâ mollitur ab arte,

Et studio mores convenienter eunt.

Erubescite Vos petulantiores, erubescite, & si quidem fideliter didicistis artes, ad tanti Principis iudicium, omni abjectâ morum feritate atque barbarie, per mollitiem eorundem vos componite.

Singulari autem DEI bonitate in id tempus incidit Rectoratus Principis nostri, quo Academiae huius Natalis Centesimus à primo illuxerat, publicâ & solenni festivitate celebrandus. Hic sanè (secundum Deum, & Electorem Saxoniae CHRISTIANUM II. sanctæ recordationis Principem) sub AUGUSTI Principis, Re-

ORATIO DE AUGUSTO

toris tum nostri Magnificentissimi auspiciis, ductu & munificentia, Secularis hæc, & Jubilæa festivitas potissimum cepta, acta & peracta fuit: sic immortalitatis trophæo erecto longè luculentissimo. Nullum enim recurret posthac, si modò ullum recurret seculum, quo non Tuam AUGUSTE pietatem, studium & industriam in celebrando hoc Jubilæo Evangelico abundè declaratam, dignis laudibus omnis evehet posteritas. Sed ad reliqua mea properat oratio.

An. 1606.

Sic ergo AUGUSTUS Princeps exacto apud nos summa cum laude & dignitate integro quinquennio, & quod excurrit, Dresdam reversus, illud maximè pensavit, ut gubernandæ Reipub. formam, Justitiæ regulam, justæ moderationis in regendis aliquando subditis modum addisceret, unde suo etiam loco, universæ Patriæ prodesse posset. Et profectò eventus optatis præclarissimè respondit. Nam biennio post, anno nimirum supra millesimum sexcentesium octavo die 21. Julij, Episcopatus Naumbergensis administratione, felicibus planè auspiciis susceptâ, in id dedit operam sedulo, ut ad illius salutem atque commodum, omnia sua studia, consilia, actiones conferret.

Hanc ad eminentiam evectus Princeps Optimus, de incedendo matrimonio consilia capessit, & anno duodecimo supra millesimum sexcentesium, ipsis Calendis Januarii sic providente Deo, & curante Sereniss: D. matre; & fratre, Electore CHRISTIANO, jam beatissimo; fidem conjugalem dedit Illustrissimæ Principi ac Dominae, Dominae ELISABETHÆ, Duci Brunsvicensi & Lunæburgensi; HENRICI JULII Ducis Magnanimi ac Sapientissimi Filia. Et profectò felix omninò, jucundum

DUCE SAXONIÆ.

dum & pacatum, sed ad quinquennium non planè integrum, hoc fuit Conjugium. O fallaces hominum spes! ò lubrica humanæ vitæ curricula! Quin potius, ò cæcam stolidissimorum hominum insaniam, qui in apertissimo isto humanæ fragilitatis theatro, ita vel cæcutiunt, vel insaniunt, ut ex ipsâ incertitudine, de vera hominum felicitate iudicium ferre ausint. Alia sunt & longè majora, quæ nominis immortalitatem, vitæ in terris hisce peractæ felicitatem, rerumq; gestarum gloriam Principi nostro conciliare possunt. Quæ qualia sint, jam ex parte contemplati sumus, & uberius contemplari libet. Rectè autem alicubi Chrysostronus. *Ille inquit verè clarus, ille nobilis & illustris, ille familia sua celsitudinem integram asserit: in cuius corde fides & religio, in verbis humanitas; in consiliis prudentia, in ferendis sententiis justitia, in factis gratia resulget.*

De Religione & pietate AUGUSTI nostri, nemo opinor dubitaverit unquam, cui modò perspectum sit, quàm præclara utriusque documenta ediderit eo quinquennio, quo tanquam Nauclerus sive Rector Magnificentissimus, ad clavum Reipubl. nostræ literariæ sedit. Nostis Auditores quàm verè & sincerè de Religione nostra senserit semper: nostis, quātum à Calvinismo, aliisq; erroribus abhorruerit: nostis quanta pietate ac devotione Sacris participarit: quanto ardore studia Theologica tractarit: quanto perè sacris colloquiis delectatus; & quod caput ac summa rei est, quantâ contentione Spiritus vota precesq; ad DEUM, non tam pro suâ, quàm Ecclesiæ ac patriæ salute, conceperit fuderitq;

ORATIO DE AUGUSTO

Neque de hoc pietatis fervore, ipsum postmodum, vel tantillum remisisse, testabuntur illi, qui ipsi à latere & consiliis semper fuerunt. Hoc certè extra omnem dubitationis aleam est positum, nihil ipsius Celsitudinem in votis optatisq; habuisse magis, quàm ut pura Religio in templis, pietas in Scholis, justitia in foro, publica denique honestas & pax aurea, domi forisq; vigeret, floret, aufereret. Quæ causa est, quòd celsitudo ipsius ægerrimè tulit, si quando ex aliorum relatu intellexit, Sacrosanctum illud Religionis depositum, vel negligentius tractari, vel petulantiùs corrumpi, vel vitæ morumq; consceleratione foediùs conspurcari, vel in gratiam aliorum, sive externorum commodorum causà, quasi cum ludas tesseris, jam cum Pontificià, jam cum Calvinianà abominatione & impietate permutari. Statuit nimirum, & piè statuit optimus Princeps, impia esse cõsilia, quæ cum Religionis jactura & inclinatione, pro ampliãdis possessionibus, pro acquirendis novis dominiis & principatibus, pro asserendis juribus ac privilegiis jampridem antiquatis, quovis modo sæpiùs iniri tractariq; consueverunt. Possunt fortassis ejusmodi consilia, defectiones, collusiones, confæderationes cum hostibus veritatis, terrorem aliquem incutere aliis: sed prudenter admodum, cum Romanæ historiæ Scriptore *Livio*, in eam descendit sententiam AUGUSTUS noster, ut statueret; *Consilia callida & audacia primã quidem specie esse lata: sed tractata dura; eventu tandem tristia: Et VERITATEM nunquam oppressum iri, quin eam potius calliditate hostium omnem, etiam sine vi & armis elisuram.* Et profectò vel ipsa experientia hætenus, AUGUSTI principis iudicium ex asse confirmavit, ut cum Religione ita luden-

luden-

DUCE SAXONIÆ.

ludentes, tandem & Religionem, & Regionem & felicitatem omnem perdiderint: Illi verò qui causæ bonitate freti, & Deo, & Magistratui summo fidem illibatam probarunt, victores evaserint. Ubi illud planè ufvenit, quod in Natura ventis diametraliter oppositis accidere consuevit. Quemadmodum enim ventus Aquilonaris primo flatu vehementior esse, quando verò paulisper desæviit, lenius spirare solet: Contra verò Auster in initiò lenior, sed sensim vehementior: sic qui *funibus impietatis*, ut Scriptura loquitur, *sunt colligati*, & cum Esavo Religionis sacrum pro lentium edulio vendere non dubitant, initio magno impetu feruntur, & horrendum stridentes, tanquam Draconis caudam, ventos laterales, secum trahunt, & terram ipsam de loco suo movere satagunt: sed mox ventus in ventum abit, omnisq; turbo ad adamantinam Veritatis rupem illisus resilit, vires omnes amittit, dissipatur, & in fumum evanescit. Vice versa Auster ille VERITATIS, instar lenis ac salubris auræ, initiò leniter fertur & sonat, sedandæq; tempestati obortæ modum statuere conatur: sed stridentibus ac sævientibus ventis contrariis, mox ipse quoque vires acquirit euado, prosternit omnia adversantia, & tandem victrici manu vexillum magis magisq; extollit, ut ad illud pij omnes, numero etiam pauciores, potentiâ inferiores, autoritate abjectiores victores appareant, lætumq; Pæana cum jubilo & exultatione canant altissimo. *Silete ergo & vacate DOMINO DEO nostro, quotquot ipsum verè diligitis, & videbitis mirabilia ejus. Fremat interim orbis & orbis: Deus refugium nostrum, Protector noster Deus Jacob.* Neque enim fallit vel fallere potest illud *ἔργον*, imò *θεῖον* proditum oraculum:

ἔως

ORATIO DE AVGVSTO

ὡς θανάτῳ ἀγώνισαι περὶ τῆς ἀληθείας, καὶ κύριος ὁ θεὸς πολεμήσει ὑπὲρ σοῦ: Usque ad mortem certa pro Veritate, & DOMINUS DEUS pugnabit pro te.

Sed ad ut AUGUSTUM nostrum redeam, vel unus iste laudatissimus erga puriorem Religionem affectus, internam animi pietatem, & reliquas virtutes, Principe Christiano dignas, luculenter testari potest: quippe qui neque in animum Epicureismo deditum; neque in eum cadit, imò nec cadere potest, qui vel ἀνθρωπίνης προσωποληψίας fascino est dementatus; vel calumniis, convitiis, odiis, sannis, irrisionibus adversantium facilè frangitur. MAGNANIMITA hic se exerat necesse est, quæ nec metu terretur; nec potentiâ mutatur, nec extollitur prosperis, nec tristibus mergitur; ut Ambrosius loquitur.

Ex hac scaturigine profluxit etiam singularis illa erga Serenissimam D. Matrem pietas, quam instar Numinis semper coluit: observantia illa erga Electores fratres, quos non impensè modò dilexit: sed & tanquam patres veneratus est, & vel hoc pacto, quanti faceret Septemviralem præminentiam, luculenter ostendit: devotio denique, illa humilima erga Majestatem Cæsaream: Cuius attestandæ gratiâ, Symboli loco uti consuevit illo oraculo Apostolico: TIME DEUM; HONORA CÆSAREM.

Ex hac etiam scaturigine promanavit Civilis illa PRUDENTIA, quæ Consilia non quævis avidè & incautè arripit, sed examinat: vota non numerat, sed ponderat: neque stolidâ quadam facilitate ad falsa prolabitur, sed assensum suspendit: inq; dubiis & intricatis non temerè quicquam statuit, sed suspensam tenet sententiam: & secundum illud Seneca, presentia ac probè perspe-

Et

DUCE SAXONIÆ.

*Et a ordinat: futura ac contingentiã prævidet: præterita re-
cordatur: sed ita, ut quemadmodum cicatrix admonet cavend-
um esse vulnus: ita memoria præteritorum casuum ac ma-
lorum reddat cautiore.*

Habetis Auditores duas illas Virtutum omnium
Duces & reginas, Religionem & Prudentiam beatissi-
mi nostri Principis AUGUSTI: unde de reliquis uni-
versis facile fieri potest iudicium: si quidẽ verum, quod
B. Hieronymus alicubi prodidit, *Omnes virtutes ita indi-
viso nexu invicem coherere, ut qui unã caruerit, omnibus ca-
reat; qui unam verè possideat, omnes habeat.* Neque hinc
disputamus an summo, medio, vel infimo gradu, virtu-
tes istæ in hominem mortalem cadere possint! Rectè
quidem *Gregorius Magnus, Quò perfectiores inquit sunt
virtutes singule in homine, eò sibi sunt conjunctiores: neq;
disjunctæ, unquam perfectæ esse possunt: quia nec prudentia
vera est, quæ justa; & temperans, & fortis non est: nec justi-
tia perfectæ, quæ prudens, temperans, & fortis non est: nec
fortitudo denique integræ, quæ fortis, prudens & temperans
non est.* Sed quis talem nobis præstabit virum, aut prin-
cipem perfectum omnibusque numeris absolutum.
Hunc ad gradum ne quidem SALOMON ipse, Regum
omnium, quos Sol hic adspexit, Sapientissimus, adspi-
rare potuit. Stolidum proinde fuerit eum perfectionis
gradum in Homine requirere, qui in Mortalem nemi-
nem cadere unquam potest. Vera fidelium perfectio
est, ad majorem subinde tendere perfectionem, suamq;
infirmiorem agnoscere.

Hier. in
epist.

Gregor. in
Moral.

Nam vitis nemo sine nascitur: Optimus ille

Qui minimus urgetur.

Sed ut de reliquis etiam Virtutibus, Viro principe di-

D

gnis,

ORATIO DE AUGUSTO

gnis, Pauca dicamus, JUSTITIÆ certè studium in AUGUSTO nostro laudatissimo nunquam desideratum fuisse, testantur Provinciales, quibus præfuit. Hi enim parentem magis, quàm judicem severum : arbitrum, magis quàm Dictatorem : constantem magis juris æquique disceptatorem, quàm rigidum exactorem, amarunt viventem, lugent ac deplorant jam mortuum. Quod si ergo, judice B. Ambrosio, *Justitia est, qua nihil alienum vendicat, qua cuilibet, quod suum est, iribuit : qua communem servat aequitatem, qua neminem damno afficit, nec aliquid dolosè agit.* certè quin AUGUSTO nostro encomium Justitiæ luculentum adscribamus, nihil prohibet. Neque Gentilium Philosophia hac in parte suum nobis negabit calculum. *Quisquis enim, inquit Seneca, Justitiam sectari desideras, primum DEVM time & ama, ut ameris à DEO : Amabis autem Deum, si in hoc illum imitaberis, ut velis omnibus prodesse, nulli nocere : & tunc te virum iustum appellabunt omnes, sequentur, venerabuntur, diligent.*

Senec. 4.
de virtut.

Sed neque FORTITUDINIS encomium piè beateq; defuncto nostro Principi ullo jure negabimus. Etsi enim bella nunquam secutus, neque ex athleticis pugnis atque exercitiis gloriam magnam quærere studuit : verè tamen de ipso dici potest, quod *Hieronymus* tanquam in ænigmate protulisse videtur : *Fortitudo Corporis est imbecillitas anima : & rursus, imbecillitas Corporis est fortitudo anima.* Infirmitate quidem corpore præditus erat Princeps optimus : sed fortis ipsi animus, qui, ut cum Gregorio loquar, *tantò præclariùs ad fortitudinem*

DUCE SAXONIÆ.

tudinem profecisse putandus est, quanto magis carnem vicit, mundi huius illecebris nuncium remisit, virtutibus coruscavit, Spiritum roboravit, terrena despexit, cœlestia appetiit.

De TEMPERANTIA nōstri Principis, moderatrice illa omnium commotionum animi, quid dicturus sim, avidè fortassis expectatis Auditores! Ego verò si vulgi iudicium sequi vellem, jure optimo à Vobis talem mihi dari & monstrari aulam peterem, quæ omnī planè luxu & excessu careret: Nostis illud Plinii: *Sicut Heliotropium Solis cursum sequitur, & quocunque ille se movet, eodem & illud deflectit ita: aſſœtia Aulam individuo nexu comitari solet: ut Reges, Heroes & Principes etiam fortissimi laudatissimiq̃, sæpiùs vel uno hoc vitio macula aliquid contrahant: exemplo PHILIPPI Regis Macedonum fortissimi, de quo refert Diodorus Siculus, quòd victis ad Cheronæam Atheniensibus, epulo regio suos exceperit, largius biberit, & vino jam Prudentiam obnubilante, sertum capiti imposuerit: ipsos verò Athenienses vinculis constrictos in theatrum produci iusserit: inq̃; horum conspectu Choragum egerit, & saltando reliquis præiverit. Utinam verò cum PHILIPPO multi in eminentia sublimiore constituti, ad temulentia sordes abrepti, semel atque iterum moniti, ad saniores etiam cum eodem mentem redirent. Refert enim idem historicus, DEMADEM Atheniensium Oratorem, licet catenis irretitum, clara voce Regem PHILIPPUM sic lascivientem acclamasse: *Mirror, Philippe Rex, cum Agamemnonis personam Fortuna tibi delegavit, Therſita opera te facere.**

ORATIO DE AUGUSTO

Quâ reprehensione libera, cui mordax Veritatis acumen inerat, motus Rex, inquit ille, confestim fertum à capite detractum humi abjecit: mulierculam, cum quâ choros exercebat, irato vultu dimisit: ad regiam gravitatem, ut par erat, rediit; & quasi qui magno beneficio affectus esset, non Demadem solum, sed & captivos omnes, vinculis solutos, libertate donatos, in patriam redire jussit. O verò utinam Omnium Principum & Magnatum Aulae, suos semper praesentes haberent Demades: neque, quos habent, studiosè saepius removerent, quando Corybantum ludi & *κωπηλομαχίας* sive poculorum certamina instituenda.

Verum ut ut sit, & quale quale fatum hac in parte multas hodieque premat Aulas: non tamen illud est vel perpetuum, vel omnium Aularum proprium. Habet DEI beneficio Ecclesia Principes bene multos, quorum Aulas, pietatis, sobrietatis & Frugalitatis officinas verè appellaveris. Qua in parte Electoralis aula Saxonica, (quod citra adulationis invidiam dixerim) multis aliis palmam omninò præripit. Certè AUGUSTUS noster, tam Naturæ generositate quàm Fratris Electoris exemplo laudatissimo motus Sobrietati maximè studuit: appetitui frena licentiùs non laxavit: sed in expetendis Voluptatibus Corporis rectam rationem secutus, honestatem & decorum à gravitate aulica non alienum ubique observavit.

*Orat. de
obitu Va-
lent. Tom.
III.*

Laudat quidem Valentinianum Imp. Ambrosius, quòd malè audiens, eò quòd ludis Circensibus delectetur, quòd ferarum venationibus occupatus, publica Imperii negocia levioire tractet brachio: quòd crapulae & cōmessationibus indulgeat: vitia hæc ita à se sit amolitus,

DUCE SAXONIÆ.

litus, & deinceps ne quidem solennibus Principum natalibus, aut Imperialis dignitatis gratiâ. Si vel Circenses, vel ludos alios celebraret: ut uno die omnes feras in sylvis interfici juberet: ut denique jejunia frequentaret, & plerumque ipse impransus Convivium solenne suis Satrapis & Comitibus exhiberet: quò & Religionis sacris ritè vacare, & Imperatoris autoritatem commodè tueri posset. Et fortassis pro seculi illius simplicitate, hæc Carnis castigatio laudem mereri poterat. Verùm ad trutinam verbi divini, & sanioris prudentiæ appensa, excessus vitio multipliciter ea laborare apprehenditur. Quid enim? Anne tanta vis obtreccionum calumniarumq; esse queat, ut propterea à ludis & recreationibus universis, à Venationibus, à Conviviis & epulis lautioribus, ab aliis denique Christiano principe non indignis exercitiis Corporis & animi simpliciter abstineas, genium in omnibus defraudes, Naturæ vim manifestam inferas? Haud opinor: Vitetur modò omnis excessus & abusus recreationum istarum: & res ipsa non amplius in vitio erit posita. Modus autem rectè observatur tum, quando nec nimis magni sumtus in ludos profundimus: nec convivia in Bacchanalia abeunt: nec Venationes subditorum sanguine & interitu evadunt cruentæ & ominosæ: nec publica Patriæ commoda negliguntur.

His nominibus meritò celebratur AUGUSTUS noster, qui in ejusmodi ludis & recreationibus modum servavit: sumtus in eas nimios fecit nunquam: parcè denique & rarissimè illis dedit operam: ita ut non deessent, qui Avaritiæ vitium ipsi objicerent. Verùm avarus cense-
feri non debet, Parsimoniæ qui studet, qui non quærit

ORATIO DE AUGUSTO

aliena, quia sua servat, qui contentus est proprio, qui per oppressionem subditorum sua non amplificat: qui denique sua inconsultè & promiscuè quibusvis largiendo non profundit.

Utinam verò Medium circa *δόνον*, Liberalitatis matrem ita semper observaretur, vel observari posset, ut neque ex una parte Profusionis: ex alterà, Avaritiæ extremo participare videri possent. Qua in parte, aureis literis singulorum Principum palatiis insculpi meritò deberet Authentica illa Philosophi etiam Gentilis, Tullij, monentis, *nec ita claudendum esse erga benemeritos Liberalitatis fontem, ut benignitas nulla aperire eum possit: nec ita referandum, ut pateat omnibus promiscuè.*

Quoad reliquam universam beatissimi AUGUSTI nostri vitam, verè affirmare possumus, ipsum, quantumvis potentià & Fortunæ splendore maximo prælustrem, nunquam tamen per insolentiam animum extulisse, vel ruptis virtutum, pietatis aut honestatis repagulis, quicquam elatiùs in quenquam statuisse: memorem gravis illius comminationis divinæ: *Principis superbi thronum destruit DEVS, & sedere facit humiles proeis: Et præcepti illius Senecæ:*

Senec. in
Octav.

Consulere patriæ: parcere afflictis: fera

Cede abstinere; tempus atque ira dare,

Orbi quietem, seculo pacem suo:

Hæc summa virtus, petitur hæc Cælum viâ.

His præcellis virtutibus aliis, quas altiùs me persequi, temporis præscripti non sinit angustia, ita sibi Princeps optimus & subditorum, & quorumvis animos voluntatesq; devinxerat, ut licet ex Constitutione
Corporis

DVCE SAXONIÆ.

Corporis haud in multos annos ipsum superstitem futurum plurimi metuerent; precibus tamen à DEO ardentibus omnes contenderent, si benefica ipsius sic ferret voluntas, annos vitæ ipsi prorogaret in seram usque senectutem. Sed nihil in humanis firmum est, nihil diuturnum, nihil stabile. Stat sententia: βροτοῖς ἀπασι κατ' ἑαυτὴν ὀφείλεται: vel ut Scriptura loquitur: *Moriendum est omnibus semel.* Nec cuiquam quantumvis firmo & vegeto exploratum esse potest, quomodo sese habiturum sit corpus, non dico ad annum, sed ad vesperam. Nec refert, quot annos quis habeat, sed quod acceperit: si diutiùs vivere nequit; hæc ipsi est senectus: Quicumque ad extremum sui fati venerit, hic moritur senex. Neque hic vel generis, vel sexus, vel conditionis prærogativa virium quid obtinet: Sed

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumq; turre.

Horat.
Od. 4. l. 1.

Hanc ipsam implacabilem prorsus sævitiem Mors haud ita pridem, in ipso festo S. STEPHANI, Novi Testamenti Proto-martyris, inopinatò exercuit, & lugendi materiam satis uberem nobis præbuit: non feriis tantum nostris mutatis in planctum: sed & tristi malorum eventurorum relicto præfagio. Excurrebat mense superiore proximo Decembri, beatissimus Princeps noster, una cum fratre Electore, Colditium, ibi ex Venatione, vel insectatione potius aprorum, recreationis aliquid percepturus: idque lætis initiò auspiciis, viribusq; satis integris. Verum paucis interjectis diebus, præcipuè circa tertiam Adventus Domini-

ORATIO DE AVGVSTO

Dominicam singularis alicuius infirmitatis sive febriculae initia sentire coepit, mitiora tamen quam ut lecto affixus haerere necessum haberet. Ex Venatione autem Dresdam propriam Nativitatis Christi reversus, ingravescente paulisper virium infirmitate & lassitudine, ne forte ex brumae inclementia malum exasperaretur, conciones sacras per dies illos feriatos, suo in Conclavi haberi voluit: habitasque singulari cum attentione audiit; quin ipsa adhuc feria secunda mensae pro more consueto assidens pransus est: nemine vel Medicorum, vel Aulicorum periculi quid suspicante. Sed quod Sapiens etiam ille Philosophus dixisse legitur: *Moriendum certe est, & id incertum an forte eo ipso die:* illud suo exemplo verissimum esse Princeps noster laudatissimus comprobavit. Nam circa vesperam ejusdem Ferae secundae (minime profecto secundae) ex improvviso perpetuis lipothymis, animique deliquis vehementioribus obrutus, ac tandem plane oppressus, Optimus Princeps, vitae finem instare animadvertens divino arbitrio se totum commisit, curam rerum secularium omnem abiecit: & ultimam illam cum Morte luctam animo imperterrito ingressus, semel atque iterum dulcissimis illis efficacissimisque amuletis, *Sanguis JESU*

1. Iob. 1, 7. *CHRISTI emundat nos ab omni peccato: Oves meae vocem*
 Iob. 10, 27. *meam audiunt, & ego do eis vitam aeternam, & non peribunt*
 Eccl. 11, 25. *in aeternum, nec quisquam rapiet eas de manu mea: Ego sum*
Resurrectio & vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit,
vivet: his inquam & consimilibus aliis amuletis Evangelicis,
 mortis terroribus oppositis, tandem, praesentibus Celsissima D. Matre: Illustrissima Coniuge: Serenissimo Electore fratre, animam suam cum STEPHANO
 proto-

Cato Major.

1. Iob. 1, 7.

Iob. 10, 27.

Eccl. 11, 25.

DUCE SAXONIAE.

proto-Martyre CHRISTO Redemptori suo commenda-
 davit: interq; preces & suspiria adstantium placidè ac
 sine ulla fermè commotione circa vespertinam sextam
 exhalavit. Sic ergo cecidit, & fato nimis præmaturo
 cecidit AUGUSTUS Princeps Saxoniae, Stirpis Electo-
 ralis Saxonicae surculus, Romani Imperii flosculus, Ec-
 clesiae ac Reipublicae praesidium, Patriae decus ac orna-
 mentum. O miseram vitae humanae conditionem!
 quàm citò omnia ex lætitia & voluptate ad luctum &
 lachrymas recidunt? O inanes nostras contentiones,
 quæ in medio vitae spatio franguntur & corruunt: &
 antè in ipso portu obruuntur, quàm portum conspiciere
 potuerint.

Sed hic audire mihi videor nonnullorum Epicuri
 de grege porcorum voculas grunnientium: Occubuit
 AUGUSTUS Dux Saxoniae: occubuit in primo virilis
 ætatis flore: Quid ergo? Si pietas ipsi cordi: Si Religio
 curæ: Si Iustitia & virtutes reliquæ amori fuerunt: Cur
 moritur tam cito? Hæccine pietatis merces, & virtutum
 Stipendium? Sed istorum ego voces non cathedrâ Ec-
 clesiasticâ, sed harâ Epicuræâ dignas judico: neque ex sa-
 cris eas refutandas, sed ad Gentilium Scholas, & Virgas
 ablegandas censeo. Proditum est à Tullio ἀνεότατα,
 Christianâ etiam theoriâ non indignum: *Pellantur ista
 ineptia penè aniles: ante tempus mori, miserum esse: Quid
 verò tempus? Naturæ nê? At ea quidem dedit usuram vi-
 tæ, tanquam pecunie, nullâ prestitutâ die: Quid est igitur,
 quod quarere, si repetit cum vult? eâ enim conditione accepe-
 ras. Quæ verò ætas longa est? aut quid omnino homini lon-
 gum? Nonne modò pueros, modò adolescentes in cursu à ter-
 go insequens, nec opinantes affecuta est senectus?*

Cic. 1.
 Thusc.

E

Omnia

ORATIO DE AVGVSTO

Senec. e-
pist. 94.

Omnia ista perinde, ut cuique data sunt, pro rata parte, aut longa; aut brevia dicuntur. Quæris quod sit amplissimum vite spacium? Usque ad sapientiam vivere: Qui ad illam pervenit, attingit, & longissimum finem, sed maximum. Hæc Schola Gentium,

Nos Christo nomen qui dedimus, qui in Schola ipsius stipendia meremur, jam pridem illud Sapientis, verissimum esse didicimus: Justus morte, etiam præmaturâ præventus, est in refrigerio. Dedit ergo, ut Ambrosij verbis utar, benignissimus Pater cælestis, beatissimo nostro Principi munus quod concupivit, æternum refrigerium: dedit domum ipsi, quam poposcit sanus, robustus, incolumis: dedit gratiam, quam ipso die mortis quæsit, quæsitam ex ore præconis verbi divini avidè audivit: auditam feliciter invenit: inventam morte obsignavit: obsignatam in infinitas seculorum æternitates, inter ineffabilia cælorum gaudia, sine fine persequitur, sine fastidio amat, sine satietate celebrat. O te beatum Cæli Principem! O te AUGUSTUM Paradisi Exarcham! O te Angelici chori præfulem, Quàm benè tecum actum? Jam intueris DEUM, & totam Sacrosanctam, & adorandam Trinitatem, à facie ad faciem: jam inter choros Angelorum & Electorum omnium, æternum Pæana CHRISTO Redemptori canis: jam toti mundo dominaris: jam nihil concupiscendo omnia habes: jam sine avaritiæ suspitione omnes omnium divitiarum thesauros possides: hoc est: sine auro & argento omnia administras: sine successione judicas: sine metu regnas: sine morte vivis.

Sed

Sed o nos miseros, & jam semiperditos, si impendentium malorum omina & praefagia, imò certissimos prodromos non videmus, vel potius caeca quadam animi obstinatione videre nolumus. *Intrant* inquit ille *in thalamos, publica avaritia tuas.* Imò jam modò intrarunt longè tristissima. Nam ut de privato luctu, qui domi me satis duntaxat affligit, nihil prorsus dicam: certè non sine ingèti cordolio recordor stragis illius, quam inde ab aetate proxima, truculenta Mors; imò non Mors, sed justissima DEI irascentis Nemesis inter nos edidit, ijs etiam ex medio nostri abreptis, quibus nec aetas grandior, nec vires attritæ, nec studium ingratum, nec labor inutilis: eo grassante morbi genere, quod nec Pestilentia est proprium; nec ab eâ tamen prorsus alienum: quod nec per omnia contagiosum, sed nec contagio omni carens, quod denique solertissimorum etiam Medicorum artem experientiamque ludificat. Accedit jam solenne istud malum, ad univensum Electoratum Saxonicum & provincias adhærentes, inclementiore aspectu sese diffundens. Quid ergo? Quid causæ calamitatum istarum putatis esse Auditores? Ah quàm metuo, ut benè multi cum *Artabano* illo apud *Herod. in Herodotum*, quandam *ἀναοδησίας* disciplinam secuti, in *Polymn.* hæc verba erumpant: *μακάρεσσι ἔστι αἱ συμφοραὶ τῶν ἀνθρώπων ἀρχαί, καὶ ἐκὶ οἱ ἀνθρώποι τῶν συμφορέων.* Disce, quòd hominibus calamitates imperent: non contra homines calamitatibus. Verùm in Schola Christi ritè informati, didicerunt noruntq; peccata & scelera nostra, tot tantarumq; ruinarum malorumq; causam esse certissimam. Nos & Patres, & filii & filia, & senes

ni. v. 18
 ad. 1. 1. 1.
 ad. 1. 1. 1.

ORATIO DE AUGUSTO

& juvenes, summi, medii, infimi, singuli & universi impiè egimus, & ad iram DOMINUM provocavimus: iccirco percussit nos. Nulla ergo medicina vel salubrior vel commodior, seriâ admissorum scelerum & deploratione, & detestatione, & emendatione, imminetibus adversitatibus opponi vel potest, vel debet. Hi gemitus, hæ lachrymæ, hæc suspiria veræ minimeq; fucata Contritionis, si luctum mæroremque nostrum temperaverint: tum demùm & gratias Principi nostro beatissimo, pro innumeris in nos collatis beneficiis condignas referemus: & debita officiorum stipendia persolvemus: & denique concitatam divini Numinis iram mitigabimus.

Cæterùm Tu Mater afflictissima, Princeps SOPHIA, Brandenburgica, quæ quinquennii non planè integri intervallo, duobus filiis, CHRISTIANO Electore & AUGUSTO, Ducibus Saxonix, pignoribus hoc mundo, imò vitâ ipsâ charioribus, es orbata: Tu vidua mœstissima Princeps ELISABETHA Brunsvicensis, quæ quadriennio non integro, brevi certè amoris nexusq; Conjugalis termino, dulcissimâ Principis mariti AUGUSTI conversatione potita es: Tu frater piè defuncti unicè superstes, JOHANNES GEORGI, Elector Serenissime: Vos inquam Cur mærori, luctuique modum non statuitis? An non insignis illa Filii, mariti, fratris Religio fidesque dolorem mitiget? Cur doletis mortuum? Annè ad hoc nati sumus, ut hîc æternùm maneamus? Abraham, Moses, Josua, David, Salomon, Reges longè omnium & Sapientissimi & potentissimi

*Hier. in
epitaph.
El. fillæ.*

DUCE SAXONIÆ.

tentissimi, mortui tamen: & super omnia Filius ipse DEI mortuus est: & nos indignabimur aliquem exire de corpore, qui ideo forsitan raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus? Placuit DEO anima ipsius, propterea properavit educere eam de media iniquitate, ne longo vitæ itinere dubiis oberraret anfractibus. Lugeatur sine fine ac modo mortuus, sed ille, quem Gehenna suscepit, quem Tartarus devoravit, in cuius pœnam æternus ignis æstuat. Fleant Gentilium more, qui spem resurrectionis habere non possunt. Interfit inter CHRISTI fervos, & Diaboli, Mundiq; huius cultores. Hi deplorent suos, quos in perpetuum existimant interiisse. Hi nullas habeant lacrymarum ferias, nullam tristitiæ requiem, quia nullam credunt mortuorum requiem.

Nobis verò, quibus mors non Naturæ, sed vitæ saltem iustius terrenæ finis est, quoniam in melius ipsa natura reparatur, fletus lachrymasque omnes, casus mortis etiam opinione nostra præmaturus abstergat. Detestandæ sunt lachrymæ, incredulitate plenissimæ, sacrilegio similes, quæ non habent modum, quæquæ ad viciniam mortis accedunt. Onus quidem, & onus grave atque acerbum imposuit nobis DEUS: sed idem DEUS, DEUS noster est, est DEUS ad salutem, est denique DEUS educens ex mortuis: DEUS laudandus in operibus universis.

Compositis ergo ad patientiam animis, ad hunc ipsum DEUM, una voce, uno Spiritu, uno affectu sic ingemiscimus: DOMINE DEUS Abraham, Isaac & Jacob, & seminis eorum iusti, quàm terribilia sunt ju-

ORATIO DE AUGUSTO

dicia tua, ut à facie virtutis tuæ tremant universa :
quàm intolerabilis ira tua super peccatores, ut omnis
caro, sicut fœnum arescat, & deficiat à vultu furoris
tui : Ecce DOMINE peccavimus, iniquitatem feci-
mus & declinavimus à præceptis tuis sanctissimis : Ideo
stillavit super nos maledictio & tribulatio magna : Jus-
tus es DOMINE, & judicia tua universa in omnibus
operibus tuis. Sed pœnitet nos, pœnitet nos DOMI-
NE iniquitatis nostræ : Exaudi ergo gemitus & suspi-
ria nostra : illumina faciem tuam super UNCTUM
tuum Electorem nostrum Serenissimum : Imple om-
nes petitiones ejus : Exaudi illum de Cœlo sancto
tuo in potentia salutari dexteræ tuæ : desiderium cor-
dis ejus tribue ei : pone in capite eius coronam de la-
pide pretioso : largire ipsi longitudinem dierum : ut
latetur in virtute tua, & in salutari tuo exultet vehe-
menter. O DOMINE exaudi, placare DOMINE, ne
morèris propter te metipsum, & propter sanctum no-
men tuum : neque in aeternum iratus, reserva mala
nobis. Non enim in nostris justitiis prosternimus
preces nostras ante faciem tuam, sed in miserationi-
bus tuis mulcis. Convertus ergo vivifica nos, & osten-
de nobis misericordiam & salutem tuam : averte
mala quæ oculi nostri vident immineri plebi tuæ.
Benedic nobis DOMINE, & PRINCIPI nostro, &
generosissimæ soboli, ac familiæ Saxonicæ universæ,
tanquam electæ hæreditati tuæ : Illumina faciem tu-
am super nos, & miserere nostri : Attolle vultum tuum
ad nos, & largire nobis pacem : Ita eveniat, ita eve-
niat

DUCE SAXONIÆ.

niat DOMINE JESU, Cui cum PATRE & SPI-
RITU SANCTO sit laus, gloria, majestas,
benedictio, & nunc, & in sempiter-
na secula, AMEN.

D I X I.





Errata Typographica sic
corrigantur.

B. 3. fac. 2. lin. 10. pro lapis, lege lupis.

C. lin. 13. lege, Nulli enim. lin penult. pro fideli, lege
fidei,

C. 4. fac. 2. lin. 4. lege, Sed ut ad

D. 3. lin. 1. pro, &, lege, ut

lin. 2. sic lege: aut Imperialis dignitatis gratia,
vel Circensis, &c.

D. 4. lin. 11. lege, quot acceperit.

E. lin. 25. lege, ineptia. & lin. 28. lege, querare.

E. fac. 2. lin. 12. lege, donum ipsi, quod

E. 3. fac. 2. lin. 24. lege imminere.

N





N

ein!

H. Lex. C. 108



Small white labels or markings on the right edge of the book cover.